



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Mavilo Martyre Adrumentis In Africa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX VARIIS
AUCT.

In Cretam
cum eo venit,
ac deinde Ro-
mam.

Moritur natus
annos 94.

Titi genus.

Vocatio.

* Imo unico,
ut habent
Menæa.
Isa. 41. 1.

Conversio.

Prædicat in
Creta. Ruti-
lium cogna-
tum convertit.
Creatur Cretæ
Episcopus.

CIRCA
AN. CHR. CL.

IV JAN.

CIRCA
AN. CCIII.

IV JAN.

domum; deinde Lystram, et Derben: et ubique cum sancto Apostolo Paulo verbum Dei prædicavit. Rustilo ergo sororis marito jam alterum annum Cretæ Præsidem agente, appulerunt in Cretam Paulus et Titus, ibique templum ædificaverunt: indeque digressi venerunt in Asiam, atque ex Asia peregrinatur cum illo Romam usque, quoad Paulusa Nerone sublatusest.

8 Inde reversus in Cretam, ibique Episcopis et Presbyteris ordinatis, vitæque ad Apostolorum normam peracta, in Domino quievit. Vixit ad annos quatuor et nonaginta. Erat enim viginti cum e Creta primum Hierosolymam profectus est, ibique annum usque ad ascensionem Christi in cælum, deinde decem alios ibidem mansit: tum delectus Apostolus a Principibus discipulorum Domini, absolvit in prædicatione Evangelii decem et octo. Rursus in Creta et aliis insulis annos sex, et in patria triginta novem exegit, ex quibus annis collectis numerus annorum nonaginta quatuor absolvitur.

EX PETRO DE NATALIB. ET ALIIS.

Eodem quoque xxv Augusti die eum refert Petrus de Natalibus lib. 7, cap. 108, hæcque ex Græcorum, ut apparet, monumentis de eo scribit: Titus discipulus B. Pauli Apostoli fuit, cui idem Apostolus specialem epistolam dirigit. Hujus vitam scripsit Zenas legisperitus, cujus idem Apostolus eadem epistola, tertio capite mentionem facit. Qui a Minoe Rege Cretæ generis duxit originem, in eadem insula nobilibus parentibus ortus. Desiderans autem Homeri et aliorum Philosophorum poemata, vacans circa illa, cum esset annorum 20, audivit de cælo sibi vocem illapsam, quod oportebat eum inde recedere, et animam suam salvare. Post hæc novem annis elapsis, iustum est sibi, quod librum Isaia legeret ubi dicit: Renovamini a me insulae multæ: Israel servabitur a Domino æterna salute. Missus est itaque ab avunculo suo Proconsule Cretæ Hierosolymam, audire et videre de miraculis Jesu Christi. Qui abiens vidit passionem Christi, resurrectionem, atque ascensionem, et Spiritus sancti adventum in Apostolos. Sicque perfectam certitudinem de Christo assumens credidit, et annumeratus est cum 120 discipulis, in quos Spiritus sanctus corporaliter descendit.

10 Postquam autem ab Apostolis Episcopus consecratus est, missus est cum Paulo ad gentes prædicandas. Qui navigantes ad Cretam insulam, Christum prædicabant: quos Rutilius Titi cognatus deridebat. Interea vero Rutilii filius moritur, et a Paulo suscitatur: sicque Rutilius credens cum omni domo sua baptizatur. Paulus vero Titum Cretensem Episcopum ordinavit, ipsumque Cretæ dimittens abiit. Post duos

annos Titus ad Paulum Romam accessit, cum quo et fuit usque ad interfectionem ejus a Nerone: corpusque ipsius una cum Luca Evangelista sepelivit.

11 Post hæc Titus ad Cretam devenit, ubi gratiose de fide Christi disputans, tandem cum increduli persistenter, oravit ad Dominum, statimque idolum Dianæ, quod colebant, cecidit et in pulverem redactum est, et mox crediderunt animæ quingentæ in Christo, et baptizati sunt. Consecravit autem Titus Presbyteros et Diaconos, ipse vero metropoli præsidebat. Cum die quadam transiret ante palatium, quod Secundus Proconsul jussu Imperatoris in Jovis nomine construebat, maledixit illud: et statim opus funditus dissipatum est, Tunc Secundus venit ad Titum cum lacrymis rogans se indemnem ab opere conservari. Cui Titus imposuit ut opus in nomine unius Dei Christianorum inciperet, et sic opus perficere posset: quod et factum est. Completo vero opere Secundus cum filio suo baptizatus est.

12 Dum igitur B. Titus morti appropinquaret, vidit Angelos ad se missos: et resplenduit facies ejus sicut sol: qui spiritum suum et plebem sibi commissam Domino commendans in pace quievit, ætatis suæ anno 94, viii Kalend. Septembris: sepultusque est in metropoli Cretæ, ubi et quiescit miraculis coruscans. Hactenus Petrus de Natalibus, quem sequuntur alii quidam Latinorum, et Titum hoc die venerantur.

13 De Tito hæc dextri Chronicum anno cxxx. Titus, cognomento Justus, Episcopus factus, secutus primo S. Paulum, mox Eugenium, prædicat in Carpetania; ubi ejus memoria magnitudoque miraculorum celebratur. Is Titus converterat ad fidem Plinium juniorem ex Bithynia Pontoque redeuntem, in Creta insula, ubi jussu Trajani Jovi templum erexerat. Nec desunt qui putent vii Sextilis ad Novocomum esse passum. Sine Plinius Secundus a Tito conversus, non disputo. Non est saltem ille Secundus qui vii Augusti Comi colitur, quem constat ex Legione Thebæa militem sub Maximiano subisse martyrium, ut alibi dicemus. Titus ut in Hispania dicatur prædicasse, facile patior: sed ad annum demum cxxx, cur ejus meminert Dexte, non video.

14 Magni vero Dionysii Areopagitæ epistolam nomam Tito Pontifici inscriptam, ad hunc ipsum Titum fuisse exaratam, omnino mihi persuadeo, quod et video Georgium Pachymeram sensisse. Petrus Halloix noster quæstione 3, in vitam S. Dionysii num. 6, ait a nemine controversi.

15 Porro S. Titi venerandum caput integrum Candiæ Archiepiscopi Cretæ urbe asseratur, magnaque cæremonia certis temporibus spectandum populo proponitur. Estque summum templum eidem sancto Apostolo dicatum; ut in peregrinatione sua Jerosolymitana, epistola 1 testatur Nicolaus Christophorus Radzivilius.

DE S. CELSO EPISCOPO TREVIRENSI.

Celsi, quinti Trevirorum Episcopi hodie natalem, xxiii Februarii Inventionem celebrari tradit Martyrologium Germanicum. Ejus præterea hoc die meminit Usuardi editio Colonienensis anno 1321. Maurolycus, ms. S. Mariæ Ultrajecti, ms. Florarium; sed in hoc Martyr, in aliis Confessor appellatur. Crætopolius Hyggini Papæ æqualem facit. Brouverus noster in Annalibus,

Auspicio, anno Christi cxli, ait successisse. Joannes Even in Epitome gestorum Trevirorum, ait genere clarum fuisse, animo sublimem, ut nomini videlicet suo responderet. Editio Martyrologii Usuardi Colonien. anni 1490. Trevisis S. Celsi Episcopi et Confessoris Christi; qui in cœmiterio S. Eucharii requiescit. xxiii Februarii de ejus Inventione agemus.

DE S. MAVILO MARTYRE ADRUMETI IN AFRICA.

Martyrologium Romanum: Adrumeti in Africa, Commemoratio S. Mavili Martyris: qui in persecutione Severi Imperatoris a Scapulasævissimo Præsidente damnatus ad bestias, martyrii coronam accepit. De hoc Tertullianus lib. ad Scapulam c. 3. Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse, quod cum Adru-

meticum Mavilum (quidam codices Mavilium, ut monet Pamelius) ad bestias damnasset, et statim hæc vexatio subsecuta est, et nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis: id est, ut Jacobus Pamelius, et Joannes Ludovicus Lacerda noster, persecutio hoc principio excitat. Ac magis mihi Baronii arridet explicatio, qui clades Africæ

Romam venit.

Paulum sepe-
lit.

Multos con-
vertit.

Secundi Pro-
cos. profanum
opus maledi-
ctione evertit.

Eum conver-
tit.

Visitatur ab
Angelis.
Resplendet fa-
cies ejus.
Moritur.
Claret mira-
culis.

Putatur in Hi-
spania prædi-
casse.

Dionysii ad
eum epistola.

Ejus caput in
Creta.

Africæ intentatas significari ait, quasi iis sanguis interpellaretur, repetereturque, injuste profusus a Præside.

Vide Baronium pluribus tom. 2, an. 203, num. 5 et seqq. EX VARIIS.

NOT. 68.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS AQUILINO, GEMINO, EUGENTO, MARCIANO, QUINCTO, THEODOTO, TRYPHONE.

IV JAN.

Horum SS.
natis,

nomina,

Recenset hosce Sanctos athletas Martyrologium Romanum: Item in Africa præclarissimorum Martyrum Aquilini, Gemini, Eugentii, Marciani, Quincti, Theodoti, et Tryphonis. Beda Usuardus, Ado, Notherus, MS. Florarium: Apud Africam præclarissimorum Martyrum Aquilini, Gemini, Eugenti, Marciani, Quincti, Theodoti, Triphonis, quorum gesta habentur. Ita fere habent omnia Usuardi exemplaria MSS. et excusa. Martyrol. MS. S. Hieronymi: Prædie Non. in Africa Aquilini, Gemini, Eugenti, Marciani, Quincti, Theodoti, Trifonis. At nomina diversimode a variis expressa; nam Aquilinus alibi Aquilius dicitur: Geminus, in MS. Societatis Jesu Antverpiæ Germanus: Eugentus, in Martyrol. Roman. et Usuardi editione Parisiensi an. 1536. Beda, Bellino, Eugentius; in MSS. Ultrajectensi, et S. Martini Tornac. Nothero, Petro de Natal. Eugentius; in MS. Centulepsi Eugen-

us; a Wandelberto, qui eum solum recenset, Argentus:

Tum pridie Nonas Argenti festa recurrunt. Marcianus, in MS. Ultraject. Martinianus: Theodotus in MS. Soc. Jesu Anwerp. Theodocius; apud Bellinum, Petrum de Natal. et in quibusdam MSS. Theodorus: Tryphon, apud Petrum Tryphonius.

2 Petrus de Natalibus lib. 2, cap. 44, ait in Wandalicæ persecutione passos, citatque Adonem, qui id non habet. Petrum sequuntur Maurolycus, Galesinius, Martyrologium Germanicum. Quibus ut assentiamur, alius certum debent antiqui Scriptoris testimonium proferre. Usuardi editio Colonienfis an. 1521, xxvi Januarii Tryphonem Martyrem refert: hinc sit, an alius, nolimus conjectare. Menæa Græcorum isthæc habent: Eadem die Sancti sex Martyres in pace finiunt. Dubitat Raderus noster, an non idem sint qui in Africa passi. Quis divinet?

DE S. ÆDUO EPISCOPO.

IV JANV.

Ædium Episcopum, ceteris Martyrologiis, quæ quidem viderimus, ignotum, suggessit nobis MS. Martyrologium S. Hieronymi. Nihil præterea de eo comperimus. Nam esse Æduorum quempiam Antistitem,

cujus omissum sit proprium nomen, non est unde suspicemur. Neque alicujus Augustodunensis Episcopi in ullo Martyrologio fit hoc die mentio.

DE SANCTIS MARTYRIBUS BONONIENSIBUS HERMETE, AGGÆO, CAIO.

IV. JANV.

SS. natalis,

locus marty-
rii.

Passi Bononiæ sunt pridie Nonas Januarii Hermes, Aggæus et Caius: de quibus Martyrologium Romanum: Bononiæ Sanctorum Hermetis, Aggæi, et Caii Martyrum; qui sub Maximiano Imperatore passi sunt. Eorundem meminit Usuardus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, Martyrologium Germanicum, MS. SS. Florarium, Ferrarius in Catalogo SS. Italia, Petrus de Natalibus lib. 11, cap. ultimo, num. 27. Baronius tom. 2, an. 303, num. 122, varia MSS. Martyrologia.

2 At Martyrologium S. Hieronymi: In Oriente, civitate Bonania, Hermetis, Aggæi, Caii. MS. iidem perantiquum monasterii S. Martini Tornaci. S. Hieronymi, Eusebii, Bedæ præferens nomina: In Oriente, Bononia civitate, Hermetis, Aggæi, Gagii. In Bononia habent quoque nonnulli excusi codices. MS. Martyrologium Usuardi Sororum regularium Lacus S. Mariæ juxta Leidam, vernacula lingua: In civitate Balona, in Thracia, SS. Hermetis, Caii, Aggæi.

3 De his (nam Acta intercederunt) ita breviter Carolus Sigonius lib. 1 de Episcopis Bononiensibus: Her-

mes, Aggæus et Caius, pridie Nonas Januarii passi sunt; Proculus Kal. Junii; Vitalis et Agricola pridie Nonas Novembris. Atque ita dies eorum Ecclesia celebrat. Corpora eorum insciis Christianis inter sepulchra Judæorum fuere projecta. Monstrantur adhuc loca crucibus lapideis ad perennem rei memoriam insignita ubi singuli sacro martyrio esse dicuntur affecti.

4 Meminit quoque horum trium sanctorum Martyrum Cherubinus Ghirardacius lib. 1 hist. Bononien. ubi tradit eorum reliquias ab Eusebio Episcopo in ecclesia sanctæ Crucis collocatas, ubi gemina hæc legitur inscriptio: MCCCIII. Hoc opus fieri fecit D. Munus de Sabbatinis, ad honorem Dei et beatorum Martyrum Hermetis, Aggæi, et Caii, hic sepulorum, et pro salute animæ suæ, et omnium suorum propinquorum. Altera: Memoriam æternæ sanctorum Martyrum Hermetis, Aggæi, et Caii, gens Sabbatinorum fecit, dicavit. M. Antonius Sabbatinus de Pratis, gentilitii juris patronatus pietatis memor, ædem vetustate corruptam, cum omni cultu restituit, anno Salutis MDLXXX.

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

PRISCO PRESBYTERO, PRISCILLIANO DIACONO ET BENEDICTA.

ANNO CCLXII.

IV JAN.

Horum Acta
intercederunt.

Horum Martyrum Acta intercederunt, præter pauca, quæ in S. Pignenii et sociorum qualibuscumque Actis xxiv Martii recensentur: eorum tamen meminere cuncta Latinorum Martyrologia. Vetus Romanum: Romæ martyrum Prisci Presbyteri, et Priscilliani, et Benedictæ. Usuardus: Romæ Sanctorum Prisci Presbyteri, et Priscilliani Clerici, ac Benedictæ religiose (quædam MSS. gloriose) qui sub tempore Juliani Imperatoris gladio martyrium compleverunt.

Eadem fere habent Beda, Ado, Notherus, Bellinus, Martyrol. Romanum, Maurolycus, Galesinius, MS. Florarium Sanctorum, Constantinus Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum, Vincentius lib. 14, cap. 38. Petrus de Natalibus lib. 2, cap. 42. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italia. Colitur Carthagine in Hispania v. Jan. S. Priscillianus M. officio duplici. Dubitat Ferrarius, an is sit qui hic Romæ passus dicitur.

DE